



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. II. Afferuntur quædam signa, & regulæ ex diuinâ Scripturâ,
Sanctorumque doctrinâ desumptæ, vnde cognoscitur, quando culpæ, sint
mortalia peccata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

De gravitate peccati mortalis. 13

ab omnibus peccatis, quæ delectationem suam in carne habent, & ab omnibus ijs, quæ gustum, malâmq; voluptatem suam habent in interiore animâ; *perficientes sanctificationem nostram in sancto timore Dei*; id est, sanctitatem, ac mundiciem, quam in baptismo, vel in poenitentia accepimus, per bona opera augeamus, magisque perficiamus; & hoc non propter alios faciamus respectus, quàm ne offendamus Deum, utque ipsum tanquam filij honoremus, ac reueremur.

Afferuntur quedam signa, & regula ex diuinâ Scripturâ, Sanctorumque doctrinâ desumpta, unde cognoscitur, quando culpa, mortalia sint peccata.

C A P. II.

CUm peccati mortalis gravitas, & damnâq; explicanda à nobis sint, necessarium est, ut agamus de signis, ac medijs, quibus cognoscitur culpa, quæ mortale peccatum est, & illa, quæ
nom

non est mortale peccatum, sed veniale. Et quamuis de hoc aliquid in superioribus tractatibus egerimus, hinc tamen plenius hæc signa, & hæc media declarare oportet per breues quasdam regulas, quæ nobis ea ob oculos ponant. *a* Prima regula hæc est: Omnes illæ culpæ, quæ in diuinâ scripturâ vetantur cum comminatione pœnæ, supplicijque æterni, cum iacturâ, & exilio perpetuo à cælo, sunt peccata mortalia; quia hæc pœnâ non nisi peccatum mortale multatur. Huiusmodi peccata illa sunt, quæ notat S. Paulus ad Corinthios scribens his verbis: *b* *Nolite errare, nec à quoquam decipi; scitote, benèque considerate hanc veritatem: Neque fornicarij, quamuis sit simplex fornicatio inter solutas, ac liberas personas, neque idolis seruientes, etiamsi obsequium duntaxat exterius, ac mortis metu fiat, neque adulteri, neque molles, qui turpiter seipfos maculant, neque masculorum concubitores.* quod

a P. 2. de imit. tr. 1. c. 8. *b* 1. Cor. 6. 9.

quod peccatum ordini naturæ, quem
vel bruta animalia obseruant, contra-
rium est, *neque fures*, qui clàm, vel pu-
blicè, vel per simulatas, palliatasque
iniustitias rem alienam auferunt, *neque*
auari, qui ex auiditate, amorèque in-
ordinato pecuniæ charitati contraue-
niunt, non dantes eleemosynam in ca-
sibus, in quibus præceptum misericor-
diæ obligat, vel faciunt contra iusti-
tiam, non restituentes rem alienam,
domino suo, *neque ebriosi*, voluntariè
se inebriantes, *neque maledici*, qui de-
tractionibus, vel contumelijs, vel ma-
ledictis ex corde prolatis grauiter
proximum lædunt, *regnum Dei posside-
bunt*, nec acquirunt. Et ad Galatas scri-
bens, adiungit his alia similia, dicen-
do: *a. Manifesta sunt opera mala*, ad
quæ caro peccato corrupta inclinatur,
quæ sunt immunditia, turpitudine extra-
ordinaria, *impudicitia*, quæ turpitudine
in osculis, & tactibus consistit, *luxuria*,
quæ omnes ceteros graues excessus in-

B

hone

a. *Ad Galat. 5. 19.*

honestarum voluptatum in matrimo-
 nio, & extra illud complectitur, om-
 nis *veneficiorum*, superstitionumque,
 vsus, *inimicitia* cum odio, malâque vo-
 luntate, *contentiones*. peruiaciâque in
 verbis, quibus veritas in grauibus re-
 bus, aut virtus impugnatur, *amulatio-
 nes*, quibus aliqui per mala media bo-
 num temporale, quod ad alios spectat,
 sibi arrogant, *ira*, quibus grauis de
 proximo vindicta appetitur, *rixa*, qui-
 bus vnus alterum verbis, factisue gra-
 uiter violat, *dissensiones iniustæ*, *sectæ*,
 seu factiones in rebus grauibus, saluti-
 que animarum noxijs, nec non quibus
 à religione, aut sanâ doctrinâ ad se-
 quendas suas falsas opiniones, & sin-
 gularia iudicia disceditur, *inuidia*,
 quibus homo tristatur ob notabile
 proximi bonum, vellétque sine iustâ
 causâ ipsum eo carere, *homicidia*, seu
 consummata, seu desiderata, *commes-
 sationes*, quæ magnum corpori, & ani-
 mæ detrimentum afferunt, & alia vi-
 tia his similia; que prædico vobis, sicut præ-
 dixi.

dixi. quoniam qui talia agunt. regnum Dei non consequentur. Hæc sunt peccata, quæ S. Paulus Apostolus innuit cum hac notâ æternæ damnationis, quæ signum evidens est, esse mortalia. Et Christus in Evangelio quædam ex illis eodem hoc signo notat, dicens: *a Qui proximo suo dixerit. fatue. reus erit gehennæ ignis* (quod intelligitur, quando hoc verbo notabilis iniuria, contumeliâque infertur; nam si auctoritatem Superioris habens, hoc ei verbum diceret correctionis ergo, etiamsi quid superfluum, aut nimium esset, non foret culpâ æternæ damnatione digna) *b Si non dimiseritis proximis vestris iniurias, quas ab eis accipitis, sed gravem de ipsis vindictam sumere desideraveritis, nec Deus dimittet vobis peccata vestra: & non percipere peccatorum veniam idem est, quod non habere ingressum in coelum, tradique igni infernali: c Nolite iudicare, & non iudicabimini: Nolite condemnare, & non con-*

B 2 dem-

a Matth. 5. 22. b Matth. 6. 16. c Luc. 6. 37.

demnabimini. loquitur de iudicio te-
 merario in rebus grauibus, quod ho-
 minem aternâ damnatione dignum
 constituit. Hoc idem signum dedit
 Dominus omissioni operum charita-
 tis, & misericordiæ, quando denuncia-
 uit se in vniuersali iudicio ijs, qui à si-
 nistris erunt, dicturum : *a. Disceditis
 maledicti in ignem aeternum: esurii enim
 & non dedistis mihi manducare: sitiini, &
 non dedistis mihi potum; hospes eram. &
 non collegistis me; nudus, & non cooperui-
 stis me; infirmus, & in carcere. & non vi-
 sicastis me.* Quod intelligitur in casi-
 bus, in quibus proximus propter has
 res valdè grauem patitur necessitatē,
 & homo, cum abundè habeat, vnde
 tali necessitati sine suo damno subue-
 niat, id non vult facere; tunc enim ea-
 iusmodi ommissio contraria est charita-
 ti, adeóque mortale peccatum, quod
 excludit à regno cœlorum, sicut alibi
 fusiùs ostendimus. *b.* Pariter omnes
 illæ culpæ, quibus Dominus apposuit
 has

a. Matth. 25, 41. b. p. 2. de imit. cr. 6. c. 20.

has minas: a *Va vobis*; vt quando dixit: *Va vobis hypocrita*, qui sanctitatem simulantes, comeditis domos viduarum: *Va vobis*, qui decimatis herbas parui precij, & relinquitis, quæ grauiora sunt legis, rectum iudicium, misericordiam, fidem, quam Deo debetis: Omnia, inquam, hæc peccata mortalia sunt, quia hæc vox mortem, & damnationem æternam minatur. Ista est prima regula ex Euangelio desumpta, per quã culpæ, quæ mortalia sunt peccata, clarè cognoscuntur.

Altera regula est, quòd omnis culpa, quã fit notabilis irreuerentia, vel ignominia Deo, aut notabile damnum, ac præiudicium proximo in vitâ, & sanitate, vel in honore, vel in re; aut quã homo sibi ipsi notabile damnum in corpore, vel in animâ infert, est peccatum mortale: & illa, quã fit leuis irreuerentia Deo, & paruum damnû proximo, sibi que ipsi, est peccatum veniale. Fundatur hæc regula primùm

B 3

in

a *Matth. 23. 14.*

in naturâ peccati mortalis, & venialis: quia mortale est contra charitatem, ita vt eam impediat, ac destruat, & ex animâ pellat, neque cum eâ compatibile sit, quemadmodum diximus. Et ad hoc faciendum respectu Dei, clarum est, irreuerentiam, & offensam, oportere esse in re graui, ac notabili, quale est periurium, violatio alicuius voti: nam quæ leuis, & exigua est, vt distractio aliqua in oratione, vana cogitatio, inutile aliquod verbum, compatibile est cum amore Dei. Et ad hoc quoque faciendum respectu proximi, id est, impediendam, violandâque charitatem, & amicitiam, quæ ei debetur, certum est, damnum oportere magnum esse, & quod iudicio prudentium virorum notabile damnum dicatur; vt est furtum quatuor, aut quinque *Regalium*, siue *Iuliorum*, vel detractio, quâ bona ei fama derogatur; si enim damnum paruum sit, vt furtum quatuor, aut sex obulorum, vel murmuratio aliqua de illius naturâ, compatible

patibilis est cum charitate, & amicitia
fraternâ; idemque est, quando dam-
num est contra seipsum. Secundò fun-
datur hæc regula in bonitate Dei, & in
suauitate diuinæ eius prouidentia:
cum enim peccatum mortale sit ma-
lum, & offensa, propter quam Deus
hominem in perpetuum à suâ gratiâ,
& à gloriâ, ad quam ipsum creauit, ex-
cludit, eumque ad immensa, & æterna
tormenta condemnat, non est cum ta-
li bonitate, ac prouidentia compati-
bile, vt pro re leui, & exigua tantum illi
negaret bonum, & ad tantum ma-
lum eum condemnaret; sed oportet
notabilem, ac grauem esse contra eun-
dem Deum, contra proximū, vel con-
tra seipsum. Hanc regulam ponit Ve-
nerabilis Richardus de S. Victore, di-
cens: *a Mortale peccatum à quouis ho-*
mine non potest committi sine grandi cor-
ruptione sui, vel sine magno contemptu, &
iniuriâ Dei. *b* Et S. Bonauentura ean-

B 4 dem

a Rich. de distinctione peccati. b D.
Bonau. de purit. conscient. c. 20.

dem regulam explicat his verbis: *Inor-*
dinatio peccati quando tanta est, ut pe-
nitus ordinem exterminet iustitia, qui
in eo consistit, ut bonum aeternum prae-
ratur temporali & bonum honestum utili,
& Dei voluntas propria; & iudicium ra-
tionis praesit sensualitati humanae, tunc est
peccatum mortale: at quando ordinem
istum non perimit, sed aliquantum pertur-
bat, tunc inordinatio est peccatum ve-
niiale; quamvis enim bonum temporale
plus debito diligat, non tamen praefert aet-
no, quia nihil vult facere, per quod hoc
perdat; & quamvis in aliquâ re parti-
culari velit impletionem suae propriae
voluntatis, non tamen hanc absolute
praefert voluntati divinae, nec in re, qua
sit notabilis, & contraria Christi Dei:
& quamvis in carne praeuos quosdam
motus permittat, non tamen eam in re
gravi praefert iudicio rationis rectae: &
quamvis velit utile corporis, non ta-
men id vult cum notabili damno vir-
tutis animae. In hunc modum S. Bona-
ventura hanc regulam ponit, a Et nos

P. 2. c. 8. 9.

in

pare se. Hæc, & his similia ad minuta peccata pertinent, quibus licet non occidatur anima, ita tamen eam velut quibusdam pustulis, & quasi horrendâ scabie repletia deformem faciunt, ut non nisi probè mundatam ad amplexus caelestis Sponsi venire permittant. Hactenus S. Augustinus. Atque his ille exemplis regulæ istius veritatem confirmat.

Tertia regula ad cognoscendum mortale peccatum hæc est: Omnes leges, ac præcepta Ecclesiastica, quæ rem alicuius momenti cum minis indignationis Dei, vel in virtute sanctæ obedientiæ, vel sub poenâ interdicti, aut excommunicationis latæ sententiæ, ordinant; omnes item leges, præceptaque secularia, quæ aliquid Reipublicæ noxium, propositâ mortis, vel mutilationis, vel perpetui exilij, vel relegationis, vel triremium ad multos annos, vel amissionis omnium bonorum poenâ prohibent, ad peccatum mortale obligant: id quod fusè ostendimus in hac tertiâ parte, tractatu tertio de virtute

tute

tute obedientiæ; ad quem locum nos referimus.

Ponuntur alia regula ad cognoscendum, quamnam culpa, mortalia sint peccata.

C A P. III.

PRæter has regulas, quæ communes sunt, ad cognoscendas in omnibus materijs culpas, quæ mortalia sunt, peccata propter gravitatem, quam in se habent, & propter notabile, quod inferunt, damnatum; sunt aliæ regulæ, ex quibus cognoscuntur mortalia culpa, quæ per se non sunt graves, nec valdè noxiæ, sed propter exteriorè aliquem respectum, vel affectum interiorem, quo fiunt, mortalia peccata sunt; atq; has nunc afferemus. Prima est ista: **C**ulpa, quantumvis naturâ suâ levis, si ad finem aliquem peccati mortalis ordinètur, sunt peccata mortalia: verbi gratiâ, si quis mendacium diceret, significans, vocari se Ioannem, cum Pe-

B 6

trus

a *D. Th.* 1. 2. q. 88. a. 4. q. 73. a. 3.